



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

5 Quid commune sit, quidue proprium negationi & priuationi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

in eo non confurgat relatio realis, sicut tali actione potest concipi in agente aliquid rationis, illud tamen non est nisi relatio quædam, quia actio transiens ut sic non potest concipi in agente nisi per modum relationis, quia repugnat propriæ rationi eius concipi in illo per modum actionis. At vero passio si propria ac vera sit semper dicit in passio aliquid rei, & non rationis tantum, siue consideretur secundum propriam rationem passionis, siue secundum relationem prædicamentalem inde resultantem: Si vero consideretur aliquid per modum passionis, quod vera passio non sit secundum rem, sed solum secundum modum concipiendi & denominandi, ut esse visum, amatum, & similia: sic quidem aut denominatio est extrinseca aut realis, aut si concipitur quasi intrinseca & rationis, tantum est relatiua, quia reuera non est denominatio passio ut sic, sed obiecti ut terminantis actum potentie & relatiua illud, eo quod aliud referatur ad ipsum. Quia in obiecto aut termino sic denominato non potest aliquid concipi absolutum omnino ab actu vel motu denominante, & ideo necessario concipitur per modum respectus. Quod etiam colligi potest ex doctrina de reatiuis non mutuis data ab Aristotele 5. Metaph. c. 15. quod nimirum concipiuntur & denominantur ut correlata ad alia, eo quod alia referuntur ad ipsa. Et hoc ipsum dicendum est de omni denominatione rationis fundata in aliqua reali denominatione extrinseca, semper enim talis denominatio respectiua est in ordine ad formam denominantem: unde si non sumitur ex relatione reali, sumenda erit ex relatione rationis ita ergo constat omnem denominationem rationis, quæ sit per modum positivæ formæ, & non ad concipiendam vel declarandam aliquam priuationem vel negationem, fieri per modum relationis.

Alter modus explicandi sufficientiam

X. A Tq hæc quidem interpretatio huius diuisionis satis accommodata est & sufficienter rem declarat. Addere vero possumus modum alium, quo illa diuisio adæquata sit de toto ente rationis, comprehendendo sub negatione entia ficta & impossibilia, siue per modum substantiæ, siue per modum accidentis fingantur. Cum enim huiusmodi entia ficta simpliciter sint non entia, merito sub negatione comprehenduntur: imo interdum ad explicandum quasi per simplicem conceptum complexam & impossibilem negationem, huiusmodi entia impossibilia finguntur. Ut quia impossibile est equum esse leonem, & ideo illud ens quod concipitur per modum equi & leonis simul dicimus esse fictum, & Chymæram, vel aliquid simile nominamus, & ad eundem modum ut explicemus hanc negationem esse necessariam, bos non potest volare, apprehendimus bonum volentem, ut quid impossibile & ens rationis. Et hic videtur esse communior sensus huius diuisionis, quod nimirum hæc omnia sub negatione comprehendantur, hoc etiam modo, adiunctis aliis, quæ in priori interpretatione diximus, facile constat diuisionem sufficientem esse, & illi non repugnare, quod per omnia prædicamenta possint entia rationis fingi, nam reliqua omnia præter relationes per modum priuationum aut negationum confinguntur.

SECTIO V.

In quo conueniant aut differant negatio & priuatio quatenus entia rationis sunt.

I. **D**E negatione & priuatione agere possumus, vel solum quatenus remouet formam seu entitatem positivam, vel quatenus entia rationis sunt, hæc enim duas rationes superius distinximus &

secundum eas diuersæ etiam sunt considerationes negationum & priuationum.

Comparantur negatio & priuatio ut in rebus sunt.

II. NAm ut supra insinuaui, in negatione (& idem est proportionaliter de priuatione) ut remotio est, si vera sit negatio, nulla est fictio intellectus, sed dum intellectus concipit præcise hominem non esse equum, illud vero concipit quod in re est, eo modo quo esse potest, scilicet vel positivæ ac fundamentaliter in entitatibus extremorum, vel remotivæ tantum secundum propriam rationem negationis, quia vere & à parte rei vnum non est aliud, etiam si ab homine non consideretur nec cognoscatur. Dixi autem, si vera sit negatio, quia si negatio falsa sit, ut si quis concipiat hominem qui non sit animal, tunc illa negatio etiam sub ratione negationis est mere ficta per intellectum, solumque habet esse obiectivæ in illo, & ideo est ens rationis, vel potius negatio rationis, nam illa etiam negatio præcise concepta in ratione negationis, non apprehenditur per modum entis, sed potius per modum non entis, & ita est quædam negatio per rationem conficta. Aliæ vero negationes, quæ veræ sunt, dici possunt negationes aut priuationes reales, quatenus vere remouet formas aut naturas reales, & ideo non est in eis querenda vera essentia accidentaliter vel substantialiter quia non dicuntur esse in rebus, ponendo aliquid in illis, sed negativæ seu remouendo aliquid ab illis. Sunt autem priuatio & negatio entia rationis quatenus per modum entis concipiuntur, ut supra declaratum est.

Priuatio & negatio, ut in rebus sunt, in quibus conueniant.

III. Omissis autem falsis seu fictis negationibus, quia nec ad præsentem considerationem referunt, nec novam expositionem requirunt præter ea, quæ de falsitate dicta sunt in disp. 9. vera & realis negatio & priuatio in hoc in primis conueniunt quod vtraque, quantum ad id, quod dicit de formali, vel ut aiunt, in recto, in sola remotione consistit, ut supra dictum est, & late tractat Soncin. 10. Metaph. q. 15. & Niphus lib. 4. Metaph. Disput. 3. & est per se manifestum. Conueniunt secundo, quod vtraque est extremum alicuius oppositionis in rebus ipsis aliquo modo inueniunt, & non fictæ per intellectum, qualis est oppositio priuatiua vel contradictoria: hæc namque oppositiones non sunt confictæ per intellectum, & quamuis peculiari modo tribuantur quibusdam actibus vel compositionibus intellectus, tamen & in illis dicunt realem oppositionem inter ipsos & in obiectis supponunt aliquam oppositionem, quæ non est ficta per intellectum, sed omnem fictionem eius antecedit, ut supra disp. 45. declaratum est.

IV. Tertio conueniunt, quod vtraque potest habere fundamentum in re cui tribuitur talis negatio, vel in aliqua conditione eius absolute sumpta, vel ad aliud comparata. Fundamentum appellamus non solum subiectum cui negatio vel priuatio tribuitur, sed proximam causam seu radicem, ratione cuius talis negatio vel priuatio conuenit tali subiecto. Et hoc fundamentum frequentius & facilius reperitur in negatione, quia cum negatio non requirat subiectum aptum ad recipiendam formam vel naturam oppositam, fundari potest in ipsa intrinseca natura talis subiecti, ut in homine negatio hinnibilis vel rugibilis, &c. fundatur in intrinseca differentia hominis. At vero priuatio cum connotet aptitudinem in subiecto, non potest in illo, ut sic seu in sola intrinseca eius natura fundari, sed in aliqua alia forma vel conditione adiuncta. Ut si homo sit cæcus, non fundatur illa priuatio in præcisa hominis natura, sed in aliqua alia causa, quæ

remouet formā quam negat illa priuatio. Hæc autem causa interdum est positiua dispositio subiecti interdum potest esse forma contraria, vt calor in aqua infert priuationem frigoris: aliquando vero solum est absentia causæ extrinsecæ, vt in aëre causa tenebrarum est absentia solis, quamquam ex parte ipsius aëris supponatur talis natura, quæ licet sit apta ad formam luminis, tamen ex se illam non habet, nec est ex se, ac necessario coniunctus causæ à qua illam potest recipere.

V.
Quarta
conuenien-
tia.

Quarto conueniunt, quia tam negatio quam priuatio possunt vere & absolute prædicari de re sine vlla fitione intellectus: non dico sine operatione intellectus, cum ipsa prædicatio sit quædam intellectus operatio, sed dico, sine fitione, quia ex parte ipsarum rerum supponitur sufficiens fundamentum vt intellectus possit vnam rem de alia negare, vtramque prout in se est concipere. Vnde sic intellectus diuinus vel angelus sine vlla fitione, & sine compositione aut diuisione cognoscit negationem vel priuationem, ita humanus intellectus sine vlla fitione potest huiusmodi negationem cognoscere, media tamen compositione seu diuisione propter suum imperfectum operandi modum. Quo fit vt id etiam non faciat sine indirecta, & quasi discursiua cognitione. Nam hoc etiam commune est priuationi & negationi, vt non possint per propriam speciem directe representari, nam cum sint non entia non possunt habere huiusmodi propriam speciem, cognoscuntur ergo à nobis per speciem oppositæ formæ indirecte, & medio aliquo discursu, & ideo cognitio priuationis necessario supponit cognitionem positivi, per quod possit intellectus in cognitione priuationis peruenire. Atq; ita etiam fit, vt tam priuatio, quam negatio cognoscantur, per habitudinem ad positium remouendo illud, quamquam per diuersum actum & conceptum ab illo quo forma ipsa positue directe & secundum se concipitur, vt Soncinas & Niphus locis supra citatis attingunt, & Iauel. 10. Metaph. q. 10. Ferrar. 1. cont. Gent. c. 17. Capreol. in 2. d. 39. quæst. 1. art. 3. & Egid. in 1. d. 36. quæst. 2.

VI.

Est autem considerandum dupliciter hoc cognoscitur ab intellectu: primo per modum diuisionis seu negationis: & tunc proprie cognoscitur sicut est, quia per diuisionem vnum extremum tantum remouetur ab alio: secundo per modum compositionis & affirmationis, vt cum dicimus homo est cæcus, vel est non albus, & tunc iam videtur admisceri quidam improprieus modus cognoscendi & concipiendi, nam cum in verbo est, ipsum ens aliquo modo includatur, iam attribuitur per modum entis id quod reuera non est ens, atq; in hoc fundatur seu inchoatur altera consideratio negationis & priuationis, quatenus entia rationis sunt, de qua statim dicemus. Est autem animaduertendum, quod in his affirmationibus non attribuitur subiecto modus, quo prædicatum concipitur, vt illo modo subiecto attribuitur, sed solum tribui id quod concipitur, nempe negationem seu priuationem ipsam: quare in re illa affirmatio negationi æquiualeat quantum ad remotionem prædicati, vel solum per illam copulam affirmatur veritas cognitionis, vt significauit Aristoteles 7. Metaph. ca. 7. Vnde cum dicimus, v. g. tenebræ sunt in aëre, non significamus aliquid realiter inhærerere aëri, sed solum aërem carere luce, & ideo vere cognosci & affirmari tenebrosum. Hæc ergo communia sunt negationi & priuationi secundum se consideratis.

In quibus differant negatio & priuatio, prout in re inueniuntur.

VII.

Differunt autem primo, quia priuatio dicit carentiam formæ in subiecto apto nato: negatio vero præcise dicit carentiam sine subiecti aptitudine. hoc enim necesse est addere, vt distinguatur a pri-

uatione, vel à generali ratione carentiæ quæ communis esse potest tam priuationi, quam negationi. Hæc autem diuersitas non est in propria & formalitatem rationis quam in recto dicit priuatio & negatio, sed in connotato: priuatio enim vt sic non includit intrinsecæ subiectum aut aptitudinem eius, alioqui & priuatio non distingueretur à subiecto priuato, quod est quasi compositum ex subiecto & priuatione, & non esset purum non ens reale, sed constans ex realitate potentie, & negatione actus seu formæ, quod est contra rationem priuationis. Igitur priuatio de formali solum dicit negationem, coartando illam ad subiectum capax oppositæ formæ, & hoc modo dicitur differre à negatione in obliquo, & quatenus connotat subiectum aptum ad oppositam formam. Quod genus discriminis etiam solet inter formas positiuas tali modo conceptas aut significatas reperiri: sic enim sæpe Aristoteles ait differre similitudinem à curuitate, nam licet de formalitatem eandem figuram, tamen similitas significat illam cum habitudine ad talem materiam: quæ differentia non est essentialis, sed materialis: ita ergo de negatione & priuatione sentiendum est.

Priuatum diuisio.

ET ex hac differentia colligi potest multiplex distinctio priuationum, quam terigit Aristoteles lib. 5. Metaph. c. 22. nam cum priuatio dicat negationem connotando aptitudinem, interdum hæc aptitudo tam improprie sumitur, vt non connotetur in subiecto, cui tribuitur priuatio, sed absolute in entibus, vt si planta (quod est Aristotelis exemplum) priuata oculis dicatur. Aliquando vero connotatur illa aptitudo in re cui tribuitur priuatio non secundum speciem, sed secundum genus tantum, vt si talpa cæca dicatur. Tertio connotatur aptitudo in re secundum speciem, non tantum secundum tempus, & omnes circumstantias requisitas vt si infans dicatur priuatus dentibus. Quarto & magis proprie connotatur aptitudo in re secundum speciem, & secundum omnes circumstantias, quæ ad talem aptitudinem requiruntur. Ac præterea priuatio interdum connotat tantum aptitudinem seu capacitatem, vt tenebræ aut nox respectu aëris: interdum vero connotat non tantum capacitatem, sed etiam principium aliquod, ratione cuius debita est opposita forma: quo modo quies, v. g. terre in centro, aut supremi cæli in suo loco, licet sit priuatio motus prioris modo, non tamen hoc posteriori: quia nullus motus est debitus tali corpori in tali loco existenti: ac vero carentia frigoris aut siccitatis respectu terre esset priuatio perfectionis debita: quæ est maxime propria priuatio. Et hoc modo distingui solet ignorantia quædam negationis, altera priuationis: nam licet vtraque supponat capacitatem, & ex hac parte habeat rationem priuationis, tamen illa quæ est carentia scientiæ debita, magis propriam & rigorosam rationem priuationis habet, ita vt comparatione eius altera censeatur negatio. Cum ergo priuatio & negatio adæquate diuidant carentiam, quot multiplicentur modi priuationum, tot possunt multiplicari modi negationum, nam quantum ab vna receditur, tantum acceditur ad alteram, & e converso.

Rursus distinguitur priuatio ex Aristotele supra in priuationem totalem, vel talem ex parte: vt dicitur res inuisibilis quæ caret colore, vel quæ habet valde remissum, & sic de aliis. Ex quibus illa prior est simpliciter priuatio in re, & loquendi modo: posterior vero licet in modo loquendi interdum significari solet per modum absolute priuationis, tamen in re tantum est priuatio secundum id quod negat, nam si quid relinquitur, illo vere non priuat, vt per se notum est.

Expositio.

Expediatur incidens dubium, an priuatio suscipiat magis & minus.

X. Vnde obiter & facile expediatur illa quæstio an priuatio suscipiat magis & minus. Solet enim etiam in hoc constitui differentia inter negationem & priuationem, quod negatio non suscipit magis & minus: priuatio autem ea suscipit. Sed si cum proportionem de eis loquamur, in hoc fere nullum est discrimen. Nam si priuatio sit totalis, nulla potest esse maior, quam illa si formaliter & in se: poterit autem alia priuatio esse minor, si non sit totalis, sed partialis tantum, atque ita inter ipsas partiales priuationes poterit dari maior & minor, pro ratione formæ cui opponuntur. Nam si forma habeat gradus intensiōnis ea erit maior priuatio physice, quæ plures gradus formæ à subiecto remouerit: illa vero erit maxima, quæ omnino formam remoueat: fortasse vero nulla potest dari minima, quia non datur minima pars gradus, formæ quæ per remissionem auferri possit. Si vero forma opposita habeat latitudinē extensionis: priuatio etiam esse poterit maior vel minor extensiuè cum eadem proportionem & secundum physicam considerationē. Quod semper addo, quia moraliter potest grauitas seu quantitas priuationis aliunde pensari, scilicet ex maiori debito habendi talem formam. Et absolute etiam in genere imperfectionis seu mali erit maior imperfectio seu priuatio, si forma opposita sit magis debita, etiam si alioquin sit æqualis negatio. Dixit etiam priuationem totalem ac in se formaliter non posse esse maiorem, quia ex parte causæ seu fundamenti interdum dicitur vna priuatio maior alia, vt cæcitas quæ vehementiorem habet causam, dicitur maior, etiam si nō plus tollat de forma & hoc modo vna immaterialitas dicitur maior alia & sic de aliis. Omnis tamen hæc inæqualitas, vt ex ipsa explicatione constat, provenit semper ex parte rei positivæ quæ vel priuationem causat aut fundat, vel certe, quia per ipsam non auferitur, sed in subiecto relinquitur: quæ fere omnia cum proportionem ad negationem applicari possunt quia etiam potest intelligi negatio totalis vel partialis, & maiorem vel minorem habere causam.

XI. Vna vero differentia intercedere in hoc videtur inter priuationem & negationem, quæ negatio, quia nō supponit habitudinem in subiecto, talis esse potest, vt sit necessaria, & opposita affirmatio impossibilis, in quo dici potest habere exactam quandam rationem negationis: priuatio vero, si propriissima sit, nunquam potest esse necessaria, respectu proprii subiecti, quia supponit potentiam ad oppositum actum: ubi autem est potentia contrarietatis, neutrum extremum est simpliciter impossibile vel necessarium iuxta doctrinam Aristot. 9. Me. aph. Ex qua differentia colligi potest alia, quod negatio habere potest intrinsecum, & quasi essentialē fundamentum positivum in subiecto, cui attribuitur: priuatio vero propria cum per accidens conveniat, aliunde provenit, & quasi ab extrinseco fundamento vt superior etiam explicando convenientiam inter priuationem & negationem insinuat est.

XII. Præterea colligitur ex dictis intelligentia alterius discriminis quod inter priuationem & negationem assignari solet, nimirum quod inter negationem & oppositam affirmationem non datur medium: inter priuationem autem, & habitum datur medium. Circa quam differentiam est advertendum, non esse in ea sermonem de affirmatione & negatione, quatenus inveniuntur in compositione & diuisione mentis, sic enim, si propria sit contradictio, inter affirmationem & negationem nunquam datur medium, siue id quod affirmatur & negatur sit aliquid positivum, siue aliquid priuativum. Nam sicut necesse est, aliquid videre aut non videre, ita & esse cæcum, aut non esse cæcum, dummodo de eodem o-

mino subiecto & sub eadem significatione seu ratione prædicati affirmatio & negatio fiat. Si vero nō sit perfecta contradictio, sed aut contrarietas, aut subcontrarietas, licet utrisque potest dari medium vel per abnegationem vel per participationem utriusque extremi, vt ex Dialectica constat. Non est ergo hic sermo de ipsis complexionibus mentis, sed de simplici priuatione vel negatione, comparatis ad oppositam formam, quam remouent & à nobis explicantur per hos terminos, cæcus non videns, & similes, & sic constituitur differentia, respectu eiusdem subiecti.

Et declarari potest per duas affirmationes, in quibus prædicata contradictorie vel priuatiue opposita de eodem subiecto prædicantur. Nam quæ contradictorie opponuntur, non habent medium, sed aliquod eorum de quolibet subiecto vere dicitur, nec fieri potest vt vtrumque simul affirmetur, aut negetur: quin vna propositio vera sit & altera falsa. Et hoc modo docet vbiq; Aristotel. inter contradictoria non dari medium, libr. 10. Me. aph. capi. 6. & 10. & libr. 1. Poster. cap. 2. Et ratio est quia inter ens, & non ens non potest excogitari medium. Dices, fieri esse medium. Respondeo, esse medium inter ens perfectum & omnino non ens, non tamen absolute inter ens & non ens, cum sit absolute aliquid, & consequenter aliquo modo ens, vt sumitur ex Aristot. 4. libr. Metaph. cap. 2. Vnde magis explicatur ratio, quia negatio simpliciter remouet formam seu id quod negat, & nullam peculiarem conditionem in subiecto requirit, & ideo fieri non potest, quin vel forma vel negatio formæ in subiecto conueniat. At vero in priuatiue oppositis datur medium, non quidem per participationem utriusque extremi, sed per abnegationem, quia priuatio non dicit simpliciter negationem, sed connotando in subiecto aptitudinem, & ideo ex defectu huius connotationi dari potest subiectum cui neutrum oppositorum conueniat, vt lapis nec est cæcus, nec videns, quamuis necessario sit videns aut non videns. Hinc vero consequenter intelligitur, respectu proprii subiecti habentis aptitudinem ad formam non posse dari medium inter priuatiue opposita, quia tunc iam concludunt virtualiter contradictoriam oppositionem. Quo circa licet prædicta differentia sic explicata vera sit, tamen ex ea colligitur proportionalis conuenientia, quia sicut inter negationem & positivum non datur medium respectu cuiusvisque subiecti, eo quod respectu negationis vel affirmationis oppositæ qualibet res potest esse aptum subiectum, ita etiam inter priuationem & positivum respectu subiecti proportionati non datur medium.

XIV. Sed occurrit obiectio, quia etiam inter terminos contradictorie oppositos datur medium per abnegationem, saltem respectu subiecti non existentis, vt chymæra neque est alba, neque est non alba, vtræque enim affirmatio est falsa, cum sit de subiecto nō supponente. Respondetur primo negationem non habere medium, si in vi puræ negationis sumatur: at si admisceatur aliquid positivum, ex ea parte poterit habere medium, vt si hæc est falsa chymæra est non videns, ideo est quia non pure negatur visio, sed affirmatur entitas vel esse. Atque ita vt prædicata contradictorie opposita nunquā habeant medium, etiam dum per modum affirmationis denūtiantur, oportet vt sumantur respectu proprii subiecti, quod sit aliqua res existēs, & ita seruetur aliqua proportio inter negationem & priuationem. Secundo respondetur negando assumptum. Nam ex illis duabus propositionibus, ea quæ est de prædicato negatiuo est vera, etiam si subiectum non existat, præsertim si (vt Dialectici dicunt) illa negatio non infinitanter, sed negatè sumatur. Quod necesse est, vt oppositio sit pure negatiua: alioqui ex parte includetur aliqua affirmatio, vt recte dicebatur in priori responsione, quæ tunc

tunc videtur procedere, quando negatio illa sumitur infinitanter.

XV.

*Privatio
veris soli
entibus
negatio et à
fictis con-
uenit.*

Vnde etiam colligi potest alia differentia inter privationem & negationem puram, quia privatio non potest attribui nisi veris & realibus entibus, nam cum privatio dicatur carentiam formæ in subiecto, apto nato non potest nisi vero ac reali enti attribui, quia aptitudo ad formam non est nisi in ente reali. Imo nec attribui potest nisi rei existenti, quia cum supponatur aptitudinem ad formam, non convenit subiecto ex necessitate, sed contingenter, ut supra dicebamus (loquimur enim de privatione proprie & in rigore sumpta) prædicata autem accidentalia & contingencia non conveniunt rebus, nec eis possunt vere attribui, nisi in re existentibus. Quod quidem verum est secundum propositiones de inesse, homo enim non existens non potest vere dici esse cæcus: sed vero erit, si fiat propositio modalis seu de possibili: vere enim dicitur posse esse cæcus, sed tunc non attribuitur illi privatio, sed capacitas privationis, quæ positiua & intrinseca est.

XVI.

At vero negatio non solum veris entibus: & existentibus, sed fictis etiam, & non existentibus attribui potest, non solum diuidendo, sed etiam componendo & affirmando: hæc enim propositio in rigore sermonis vera est, chymæra est non ens, nam si est ens fictum, ergo est non ens, unde Arist. 4. Met. cap. 2. hanc locutionem veram esse dicit, *non ens non esse ens, seu nihil*: quod si ens non ens etiam est non homo, non equus & quodlibet aliud simile contentum sub non ente. Ratio autem esse potest, quia licet hæc habeant formam affirmationum, tamen in sensu & significatione æquivalent negationibus, ita ut licet illa negatio in ordine compositionis postponatur copulæ tamen in virtute & quoad sensum cadat in illam. Vel aliter dici potest illa copula absolui à tempore, quia eo modo quo subiectum concipitur ut ens fictum, prædicatum est de intrinseca ratione subiecti, & ideo potest propositio illa non solum vera esse, sed etiam necessaria. Atque hæc responsio ac differentia sic declarata mihi non displicet: solū aduerto quod dictū est de privationibus, intelligendum esse de veris & realibus privationibus, nam possunt esse etiam aliquæ privationes imaginariæ & confictæ in fictis entibus, ut si quis Chymæram cæcam fingat aut imaginarium spatium concipiat tenebrosū, vel quid simile: huiusmodi enim privatio attribui poterit enti ficto in ordine ad copulam abstrahentem, seu ampliātem tale esse fictum. Et eodem modo possunt quibusdam entibus fictis attribui negationes aliorum, & vni negationi alia negatio: sic enim concipitur chymæra non esse hyrcocerū, & spatium imaginarium non esse quid successuum.

XVII.

*Privatio
inter prin-
cipia rei na-
turalia cur
numero ut
non negatio.*

Alia differentia assignari potest inter privationem & negationem, quod privatio numeratur inter principia realis mutationis seu generationis, negatio vero ut sic non potest inducere huiusmodi rationem principii. Prior pars nota est ex Arist. in 1. Phys. & 11. Met. ubi privationem ponit inter principia rei materialis. Posterior autem pars probatur, quia non ex qualibet negatione potest fieri naturalis mutatio. Et ratio utriusque partis est, quia mutatio fieri non potest nisi in subiecto capaci, & ideo carentia, quæ in illo supponitur, oportet ut habeat rationem privationis, cum sit negatio in subiecto apto nato: ergo quæ fuerit pura negatio, & non inducat rationem privationis, non potest esse principium mutationis: non est autem hoc loco à nobis explicandum quomodo privatio inducat rationem principii: id enim proprie spectat ad 1. librum Phys. & pro huius materie opportunitate tatum sufficienter est supra d. sp. 12. sect. 1. Est enim principium non proprie influens, sed terminus per se necessarius, à quo fit mutatio. Hinc autem recte confirmatur quod supra cum Caierano & aliis diximus, privationem secundum se spectatā,

licet non sit ens reale, non esse quid confictum per rationem, sed talem carentiam quæ suo modo in rebus ipsis reperitur: nam seclusa omni rationis fictione potest naturalis mutatio habere sua principia necessaria, quorum vnum est privatio.

Dices: Etiam negatio hoc modo secundum se sumpta convenit rebus absque fictione intellectus, scilicet remouendo, ut superius etiam diximus. Respondetur negationem non propter defectum huius conditionis non posse esse principium mutationis naturalis, sed quia ex se non requirit subiectum capax oppositæ formæ, quod necessarium est ad naturalem mutationem. Vnde dici ulterius potest, quod licet sola negatio non possit esse sufficiens principium mutationis, aliqua tamen negatio possit esse in suo genere, & in ratione termini à quo, sufficiens principium alicuius actionis seu productionis. Sic enim dicitur creatio fieri ex nihilo, sicut generatio ex privatione: nihil autem meram negationem dicit. Addi tamen potest rationem principii non tam proprie attribui ipsi nihilo respectu creationis, sicut privationi respectu generationis, quia privatio saltem ex parte subiecti connotat vel includit aliquid rei positivæ, quod videtur necessarium ad propriam rationem principii. Sed de hoc aliis.

A privatione ad habitum an sit regressus.

Occurrebat vero statim hoc loco explicandum commune illud axioma, *A privatione ad habitum non est regressus*, quod sumptum est ex Aristotele secundo de genera. & 8. Metaph. c. 5. ubi breuiter declarauimus, illud esse verum respectu eiusdem numero formæ, non vero respectu eiusdem in specie, nisi quoad immediatum regressum, idque non omnibus formis, sed in quibusdam, quæ natura sua certum ordinem inter se determinant. Ibi autem locuti fuimus cum Aristotele de forma quæ per propriam actionem seu generationem induci potest, & de privatione illi opposita: sunt autem quædam formæ accidentales, quæ ex necessitate naturali dimanant ab aliquo intrinseco principio, & aliter fieri non possunt: & in his si contingat privationem fieri, non potest naturaliter fieri regressus ad habitum, neque eundem numero, neque in specie. Et huiusmodi videtur esse cæcitas aut surditas, quæ propterea naturaliter tolli non possunt quia nullum est in natura intrinsecum principium, quod possit organum talis facultatis ad eam dispositionem restituere, ob cuius defectum etiam ipsam facultatem amisit. Sed hæc iam excedunt tractationem entium rationis, de quibus in hac disputatione agimus, & ideo hæc sufficit dixisse de privatione & negatione sub priori consideratione.

Comparantur privatio, & negatio ut entia rationis sunt.

Secundo modo agere possumus de aliis formaliter quatenus entia rationis sunt, & sic etiam conveniunt in his omnibus, quæ communia sunt entium rationis ut sic, vel entium rationis absoluto (ut sic dicam) id est, ut cum distinguitur ab ente rationis, quod est relatio: quod satis patet ex dictis in superioribus sectionibus. Vnde utriusque commune esse videtur, ut fingatur aut cogitetur per modum cuiusdam qualitatatis efficientis subiectum quod denominat, quamquam non æqualiter seu eodem modo. Nam de privatione videtur id in vniuersum verum, ut v.g. cæcitas apprehenditur tanquam dispositio quædam talis organi, & tenebræ ut dispositio aeris. Quidquid enim apprehenditur per modum positiui entis, oportet ut concipiat per analogiam vel proportionem ad ens alicuius prædicamenti realis: apprehensio autem privationis respectu rei quam denominat, cum

nullo alio genere habet tantam analogiam, quantum qualitas e.

XXI.

Obiectum
responsio-
tur.

Dices id esse verum, quando forma cui opponitur priuatio, est qualitas, secus vero est, si sit res alterius prædicamenti. Respondetur negando assumptum. Quod ostendo breuiter discurrendo per alia prædicamenta. Priuatio enim formæ substantialis non apprehenditur in materia ad modum substantialis formæ, sed per modum dispositionis accidentalis, quæ potest inesse & abesse, & ita etiam illa qualitas imitatur. Quantitas vero non est naturaliter separabilis, & ideo non datur naturaliter priuatio quantitatis: si tamen ponamus de potentia absoluta materialem substantiam priuatam quantitate, non apprehendemus illam priuationem per modum quantitatis, sed potius per modum cuiusdam immaterialis & simplicis dispositionis. Et ratio differentie inter quantitatem & qualitatem esse videtur, quia quantitas nunquam habet aliam quantitatem sibi contrariam, & ideo carentia quantitatis non apprehenditur per modum quantitatis oppositæ, sed ut dispositio quædam alterius rationis, & ut habens effectum formalem longe alterius rationis à toto genere quantitatis. At vero una qualitas habere potest aliam sibi contrariam, & inde fit, ut quando qualitas non habet contrarium, priuatio eius apprehenditur per modum qualitatis oppositæ, & ut habens effectum formalem oppositum effectui contrariæ qualitatis, non tamen extra latitudinem seu proportionem totius generis qualitatis. Et eadem fere ratione dicebam supra, priuationem relationis ut sic non concipi per modum relationis, quia per talem priuationem destruitur proportio & similitudo ad veram relationem, quia negatur ordo ad alium. Non nego tamen cum priuatione vnius relationis intelligi posse aliam posituè oppositam vel diuersam, interdum realem, interdum rationis, ut dicitur quis priuatur relatione similitudinis potest oriri relatio realis dissimilitudinis, & in eo qui priuatur relatione filiationis per mortem patris, concipi potest relatio rationis generans quod iam præterit, sed non est conceptio priuationis, ut sic, sed alterius formæ.

XXII.

Idem facile intelligi potest in vltimis prædicamentis: quatenus in eis aliquis modus priuationis inueniri potest. Nam in actione ut sic non videtur esse proprie priuatio, eo quod actio non respiciat agens ut subiectum sed ut principium, & ideo carentia actionis respectu agentis non est proprie negatio in subiecto apto, nato, & ideo non est proprie priuatio: tamen qualiscumque negatio ut priuatio sit, non concipitur ad modum actionis, quia non concipitur ut fluens ab agente. Et similiter passio (& id est de mutatione & motu) quauis respectu illius detur proprie priuatio, tamen non concipitur, per modum passionis, quia non concipitur ut aliquid in fieri, sed in facto esse ac quieto, atque ita quies, quæ est priuatio motus, non apprehenditur per modum passionis, sed quasi dispositionis, cuiusdam quiete permanentis. In duratione vero nunquam intercedit propria ac pura priuatio, quia non potest omnino tolli duratio, nisi destruat subiectum eius. Nesci Vbi (ut opinor) tollitur per priuationem puram, sed per oppositum Vbi, & eadē ratio est de situ in rebus, quæ sunt capaces illius, & ideo in his prædicamentis non confinguntur huiusmodi priuationes quæ sunt entia rationis, & si aliquo modo concipiuntur posituè est solum concipiendi aliquas relationes, ut absentiam vel distantiam loci aut temporis. Denique respectu habitus concipitur quædam priuatio quia homo non est proprie subiectum vestis, & comodo quo habere potest rationem priuationis non concipitur ad instar habitus, quia nec concipitur per modum adiacentis, sed quasi inherens potius, nec effectus eius concipitur ut proportionem habens cum effectu

habitus sed potius ut omnino extra totam latitudinem eius: itaque recte dictum videtur, priuationem in vniuersum, si vera & propria sit apprehendi seu cogitari per modum qualitatis.

At vero in negatione non videtur ea generalis regula in vniuersum vera, sed distinctione opus est, nam negatio concipitur ut affectio alicuius subiecti, quod caret tali natura vel forma, & tunc eadem fere videtur ratio de negatione, quæ de priuatione, & facile applicari possunt omnia dicta. Habet tamen ulterius negatio ut apprehendi possit extra omne subiectum, quod tamen priuationi repugnat, cum intrinsece dicat negationem in subiecto apto nato: & huiusmodi negatio non semper apprehenditur per modum qualitatis, sed etiam ad instar aliorum prædicamentorum. Diximus enim supra, entia impossibilia quæ ad modum substantiarum finguntur, sub negatione comprehendendi. Item spatium imaginariū, quod per modum dimensionum concipimus, reuera non est propria priuatio, sed negatio quædam, quia nullum subiectum aut capacitas realis illi supponitur: pertinet ergo etiam ad negationem. Et id est de tempore seu successione imaginaria, quæ extra omne subiectum fingitur.

XXIII.

Negatio
cum quo-
viro genera-
entis habe-
at propor-
tionem.

Ex quo ulterius colligere licet discrimen inter negationem & priuationem, nam priuatio semper concipitur ut quid adherens vel adiunctum alicui subiecto, ut explicatū est: negatio vero non semper, nam ipsum nihil est quædam negatio, quæ nulli rei adherere intelligitur, & idem constat ex aliis exemplis supra adductis.

XXIV.

Priuatio
semper con-
cipitur ut
inherens,
secus nega-
tio.

Vnde etiam coniectare possumus, quando inter hæc duo membra sit nostrum concipiendi modo essentialis diuersitas, quando vero tantū accidentaliter seu materialiter. Negatio enim, quæ concipitur quasi per se, & extra subiectum ex ratione sua, formaliter differt à priuatione, & consequenter etiam ab illa negatione quæ ex se concipitur ut adherens alicui, & illud denominans, quia apprehenduntur sub diuersis rationibus entis, quales sunt esse per modum existentis per se aut in se, vel in alio. At vero priuatio & negatio illa quæ per modum existentis in alio concipitur, non necessario differunt essentialiter, sed iuxta diuersitatem formarum quibus opponuntur: quomodo etiam negationes inter se & priuationes inter se distinguuntur, ut notauit D. Th. 1.2. q. 17. art. 6. ad 1. Quamquā enim hoc præcipue verū sit de negationibus & priuationibus, fundamentaliter, tamen inde etiam verum habet formaliter in his quatenus entia rationis sunt: cæcitas enim & surditas etiam quatenus apprehenduntur per modum entium, ut diuersa apprehenduntur: & idem est proportionaliter in negationibus inter se collatis. Vnde à fortiori, si priuatio & negatio opponantur formis essentialiter diuersis, etiam ipsæ in suo ordine habebunt similem vel proportionalem diuersitatem, non quia priuatio & negatio sunt, sed quia talium formarum sunt.

XXV.

Inter nega-
tionem &
priuationem
quantitas
diuersitas.

Quando vero priuatio & negatio sunt eiusdem formæ coparatione diuersorum subiectorum, ut negatio visus respectu hominis & Angeli, tunc quidem in ratione entis rationis non videntur essentialiter differre, sed tantum denominatione aut relatione sumpta, ex ordine ad diuersa subiecta. Patet, quia in formis realibus & posituius comparatio ad diuersa subiecta non causat diuersitatem essentialem in forma sed solum diuersas denominationes aut relationes, si alioqui entitas formæ secundum se considerata, habet idem principium constitutum, ut albedo in niue, & in coruo eiusdem speciei erit, etiā si in illa sit connaturalis proprietas, in hoc vero violēta & præternaturalis, si ei inesset: & idē motus deorsum, terræ est naturalis, aëri violentus, & tamen non propterea in genere entis in specie differunt. Ita ergo carentia visus in se eiusdem rationis est, quia idē habet semper principium specificans, & sub eadem ratione en-

XXVI.

tis ap-

tis apprehenditur, quamvis comparata ad Angelum ob eius incapacitatem retineat solam rationem negationis, comparata ad hominem denominetur privatio. Et ideo sub ratione maius etiam differant, quia illa carentia homini est maius, non Angelo: & similiter potest denominari violentia homini, Angelo vero contraria. Hoc autem intelligendum est de carentia illa secundum se considerata, nam si de illa loquamur veluti in sensu composito, ut denominata a privatio, aut pura negatio, si includit diversos respectus rationi ad diversa subiecta, qui sunt essentialiter formis denominatis ut sunt sub talibus denominationibus.

XXVII.

Denique (ut supra dicebam) hic loquimur de negatione prout concipitur per modum incomplexæ formæ, nam si de complexis negationibus sit sermo, sic potest intelligi diversitas essentia inter carentiam respectu diversorum subiectorum, ad quæ ut negatio vel privatio comparantur. Hæc enim negatio Angelus non habet visum, ut hæc affirmatio Angelus est non videns longe diversa sunt ab his, homo est cæcus, aut cæcus visum, nam illæ sunt necessariae proportionales, hæc vero contingentes: unde essentia eam diversitatem habent. Neque id mirum est, quia respectu complexionis ipsa extrema intrinsece comparantur tanquam illam componentia, & ideo variato altero extremo variatur compositio & habitudo complexionis, secus vero est in ipsa simplici forma secundum se spectata, illa enim intrinsece non includit hoc vel illud subiectum, sed habitudinem ad subiectum quasi adæquatum.

SECTIO VI.

Quid ad relationem rationis necessarium sit, & quos modis fingi aut excogitari possit.

I.
Descriptio
relationis
rationis.



Um relatio rationis ab absolutis omnibus distinguatur per communem, vel quasi communem rationem relationis, a relationibus autem realibus, ex eo quod vera & realis relatio non est, in genere definiri potest per negationem realis respectus, ita ut relatio rationis sit omnis relatio quæ realis non est. Quia vero illa negatio non potest intelligi coniuncta cum eo quod relatio dicit per modum positivi, nisi media fictione aut cogitatione intellectus, ideo relatio rationis in communi positive definiri potest, esse relationem quæ intellectus fingit per modum formæ ordinatæ ad illud, seu referentis unum ad aliud, quod in re ipsa ordinatum aut relatum non est.

Quæ sint ad relationem rationis necessaria.

II.

Vocatur cum relatio rationis deficiat a veritate relationis realis & sit quædam umbra illius, duo videntur ad illam requiri: unum est, ut in ea non concurrant omnia, quæ solent esse necessaria ad relationem realem, qualia sunt subiectum capax, fundamentum reale cum debita ratione fundandi, & realis terminus actu existens cum sufficienti fundamento reali seu ex natura rei, de quibus superius latè dictum est. Hæc ergo omnia simul sumpta non possunt communia esse ad relationem rationis alioqui in nullo posset distinguere talis relatio, a relatione reali. Aliud est, ut aliquid eorum, quæ ad relationem realem concurrunt, fundet aliquo modo saltem remote relationem rationis, vel potius cogitationem & modum concipiendi quo relatio rationis constringitur, supplente ipso intellectu id quod in re deest ad verum respectum. Dico autem necessarium esse aliquid in rebus quod saltem remote fundet, vel occasionem præbeat huic relationi, quia ut sape dixi, agimus de entibus rationis, quæ aliquo modo conse-

runt ad cognitionem entium realium, quæ semper habent in re aliquod fundamentum. Si autem velimus omnes omnino relationes rationis comprehendere, addere possumus relationem rationis esse cui deest, aliqua conditio necessaria ad relationem realem, vel cui desunt omnes, ab intellectu autem fingitur vel cogitur aliquid illis proportionale.

Prima divisio relationis rationis.

Hæc ergo dici potest prima divisio relationis rationis in eam quæ omnino est constituta per intellectum absque ullo fundamento ex parte rei, & in eam quæ in re habet aliquod fundamentum, licet non sufficiens: nomine autem fundamenti nuncintelligo omnes condiciones ad relationem realem necessarias. In priori membro continentur omnes relationes rationis quæ inter alia entia rationis cogitantur, præsertim si talia entia rationis sint mere constituta, ut est relatio similitudinis inter duas Chymicas, vel dissimilitudinis inter Chymicam & Hircocerum, & similes. Huc etiam pertinere possunt relationes rationis inter duas privationes, quo modo unus locus tenebrosus dicitur similis alteri, & in spatio imaginario concipitur relatio distantie, & in successione imaginaria relatio prioris & posterioris. Quamquam hæc relationes fundantur in privationibus vel negationibus rerum aliquod maius in rebus ipsis habeant fundamentum saltem remotum. Tercio possunt ad hoc membrum reduci relationes rationis inter entia realia possibilis, non tamen existentia, ut est relatio antecessoris Adami ad Antichristum, & similes, quæ maius habent in rebus fundamentum, quia extrema earum non sunt omnino entia rationis, quævis ut apprehenduntur ut extrema vel subiecta relationum sint entia rationis. Unde in his tribus ordinibus relationum quos sub illo primo membro numeramus, continentur quædam subdivisio illius membri, & sub illis ordinibus excogitari facile possunt fere omnes modi relationum realem per quandam analogiam vel proportionem.

Secunda divisio relationum.

At vero relationis rationes quæ in rebus existentibus habent aliquod fundamentum, subdistingui viterius possunt ex diversitate fundamentorum, vel è contrario ex varietate defectuum earum conditionum quæ ad relationem realem requiruntur. Unde sub hoc membro primo constitui possunt relationes illæ, quæ tribuuntur rei existentis respectu termini non existentis, siue illud sit ens possibile, siue fictum, ut relatio prioritatis Petri existentis ad Antichristum futurum, vel diversitatis Petri existentis à Chymica. Et pari ratione ad hunc ordinem spectat relatio rationis correspondens in alio extremo non entis ad ens, seu entis rationis ad ens reale, in his enim deest conditio necessaria ad relationem realem ex parte termini: scilicet, ut sit realis, & realiter existens. Et in hoc ipso ordine subdistingui poterunt cum proportionem tres illi modi relationum, qui fundantur vel in unitate, vel in actione, vel in ratione mensuræ: omnes enim illæ sunt relationes rationis, quando alterum extremum non est reale & existens.

Secundo constituantur sub illo membro relationes, quæ concipiuntur inter extrema, quæ sunt reale quid, tamè in re non habeant distinctionem realem, vel actualem ex natura rei, sed rationis tantum, nam hic est defectus alterius conditionis requisitæ ad relationem realem. Et iuxta diversam distinctionem rationis inter extrema huius relationis erit etiam diversitas inter huiusmodi relationes. Interdum enim est tantum distinctio rationis ratiocinantis, ut est in rela-